

diffidationem perpetuam a toto populo christiano cum aliis pœnis expressis c. 1, h. t., in 6, ibi: « Sacri approbatione concilii statuimus, ut quicumque princeps, prælatus, seu quævis alia ecclesiastica, sæcularisve persona quempiam Christianorum per prædictos assassinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit (quanquam mors ex hoc forsiteri non sequatur) aut eos receptaverit, seu secleraverit, seu occultaverit, excommunicationis, seu depositionis a dignitate, honore, et officio incurrat sententias ipso facto: et illa libere, aliis per illos, ad quos collatio eorum pertinet, conferantur. Sit etiam cum suis bonis mundanis omnibus tanquam Christianæ religionis æmulus, a toto Christiano populo perpetuo diffidatus. Et postquam probabilibus argumentis constiterit, aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenus, alia excommunicationis, vel depositionis, vel diffidationis adversus eum sententia requiratur.

63. *Pœnæ parricidii.* — Parricidium, quod speciale quid circa pœnas prædictas habeat, constat ex dictis supra tit. X.

64. *Pœnæ homicidii sacrilegi.* — Homicidium sacrilegum ratione personæ occisæ, præter recensitas pœnas ordinarias exasperatas, etiam excommunicationis pœnam ipso facto inducere, aliunde satis patet ex can. *Si quis suadente*, 29, cau. 17, q. 4. Sacrilegium vero ratione loci sacri, in quo fit, privationem asyli secum trahere, dictum est lib. III, tit. XLIX, de *Immunit.*, a num. 99.

### § III.

DE HOMICIDIO VOLUNTARIO JUSTE, ET LICITE COMMISSO AUCTORITATE PUBLICA, VEL IN BELLO JUSTO: ET IRREGULARITATE INDE PROVENIENTE.

65. *Licetum est jure divino et humano, malefactores auctoritate publica occidere.* — Quæritur I. An, et qualiter licetum sit auctoritate publica principis, judicis, seu magistratus malefactores, præsertim bannitos, seu publice præscriptos occidere? Resp. I. Certa et Catholica veritas est, licetum esse ex causa legibus comprobata, auctoritate publica occidere malefactores prius legitime convictos, aut confessos. Ita enim volunt divina, et humana lex. Divina quidem Exodi, cap. XXI et XXII, præsertim vero, vers. 19, ibi: « Maleficos non patieris vivere: » ubi

etiam plures pœnæ pro variis maleficiis enumerantur. Consonat lex gratiæ ad Roman., XIII, vers. 4, ibi: « Non sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui male agit. » Humana autem tam civilis per varias leges in superiori, § citatas, quam canonica, can. *Quæsitum*, 43, cau. 23, q. 4, can. *Prodest*, 4, can. *Quali*, 44, ead. caus., q. 5, cum Concordantiis.

65. *Probatur ratione.* — Ratio est, quia licet alias solus Deus sit Dominus vitæ et membrorum hominis juxta Sapient., XVI, vers. 13: « Tu es enim, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem, » et potestas, quam olim domini habebant in vitam servorum proprie talium, sit eis ademta, l. 1, ff. de his, qui sunt sui, vel alieni juris: tamen in vitam malefactorum dedit Deus potestatem legitimo magistratui, quatenus sicut pro conservatione totius corporis humani, putrida et nociva resecantur membra ita a communitate tanquam a corpore politico malefactores tanquam noxia et putrida membra tollantur, ne cætera membra inficiantur.

67. *Debet tamen adesse justa causa legibus comprobata; sine qua etiam principes occidentes committunt homicidium.* — Dicitur tamen causa legibus comprobata; non enim pro libitu, aut ex vindicta privata, vel passione, sed duntaxat ex justa causa licetum est magistratui, et supremis dominis occidere; unde etiam supremi domini, et iudices homicidii injusti rei sunt, qui potestate sua in occidendo ex dolo vel culpa abutuntur, l. 1, prin. § 1, item l. *Lege Cornelia*, 4, ff. *Ad Leg. Cornel. de Sicar.*

68. *Potest princeps supremus malefactorem ita proscribere et bannisare, ut bannisatum liceat cuivis privato occidere si debitæ conditiones concurrant, tam ex parte principis proscibentis.* — Resp. II. Potest magistratus, vel princeps supremus non tantum malefactores, quos in potestate præsentis habet, occidere, sed absentes ita bannisare, seu publice proscribere, ut cuivis etiam privato liceat talem occidere, si debitæ concurrant conditiones, tam ex parte principis, vel magistratus proscibentis, quam ex parte privatorum bannisatum occidere volentium. Et quidem, ut magistratus prædicto modo aliquem proscibat, requiritur 1, ut de capitali proscibitionem hujusmodi seu bannisationem promerente delicto sufficienter constet. In criminalibus siquidem delictis luce meri-

### § III. DE HOMICIDIO VOLUNTARIO, JUSTE COMMISSO, ETC.

diana clarius patere debet, per vulgaria, 2. Ut periculum grave ex malitia bannisandi imminet reipublicæ, ut si esset proditor, perduellis, prædator, insidiator vitæ principis, veneficus, etc. 3. Ut ordinario procedendi modo contra præsentem reum executio fieri nequeat; alias enim in contrarium militat juris regula: « Non est singulis concedendum, quod per magistratum publice possit fieri, nec occasio sit majoris tumultus faciendi, » l. *Non est*, 176, ff. *de Reg. jur.*

69. *Quam ex parte privati bannisatum occidere volentis. Et quæ?* — Ex parte privatorum bannisatum occidere volentium requiritur. 1. Ut sententia banni per appellationem legitime interpositam non sit suspensa; quia appellatio effectum suspensivum, et devolutivum habet per ea, quæ diximus lib. II, tit. XXVIII, de *Appellat.*, § 7 et 8. 2. Ut occisio præcise fiat ex zelo justitiæ, et ob bonum publicum, non vero ex odio, aut passione privata, vel affectu vindictæ, aut turpis lucri. 3. Ne occisio fiat extra territorium proscibentis, sicut enim ipsi magistratui, ita a fortiori privatis illicitum est, executionem contra reum facere extra territorium. Farinac., in *Pract. crimin.*, p. 3, q. 103, n. 213, arg. l. fin. ff. *de Jurisdic. omn. judic.* 4. Ut persona bannisata non sit speciali jure conjuncta privato volenti occidere, v. g. pater, filius, conjux; hos enim occidere semper illicitum est, nisi ad delendam patriam veniant, arg. l. *Minime*, 35, ff. *de Relig. et sumpt. fun.* Ita conditiones recensitas merito requirit Clarus, § homicidium, n. 54. Layman lib. III, tr. III, p. 3, cap. II. Sylvester, Sa. y. *Bannitus*, et alii.

70. *Raro licet privato occidere hujusmodi bannisatum.* — Recte tamen monet Molina, de *I. et I.* tr. II, disp. 7 raro, et non nisi ob gravem causam (qualis foret, si ex vita malefactoris quotidianum immineret periculum reipublicæ) licere magistratui ita bannisare aliquem, et ita bannisatum libere occidere. Tum quia sequuntur plerumque multa incommoda; tum quia sic improvisi occisi pereunt in corpore, et anima, quod utique charitati christianæ repugnat.

71. *In bello justo licetum est directe occidere nocentes hostes.* — Quæritur II. An, et qualiter in bello licetum sit occidere? Resp. I. Certum et indubitatum est apud omnes, licetum esse cunctis in bello sive defensivo, sive offensivo justo omnes hostes nocentes occidere. Ratio est, quia hoc ipso, quod ad

justam vindictam, et satisfactionem injuriarum, et damnorum reparationem bellum licite assumantur, licita etiam sunt media necessaria ad bellum gerendum, inter quæ procul dubio est, occidere hostes.

72. *Non item innocentes, quales sunt pueri, innocentes, clerici, religiosi, homines simplices et rustici.* — Dicitur tamen notanter nocentes, id est injuriarum reos, et arma sumentes; innocentes enim, quales de jure naturæ sunt pueri, mulieres: et de jure ecclesiastico religiosi, clerici, peregrini, homines simplices et rustici; idque secundum juris præsumptionem, quandiu contrarium de ipsis non constat, arg. c. *Innocentes, de Treuga, et pace*, per se, et ex intentione etiam in bello justo occidere non licet, prout concors habet D. D. juxta illud Daniel, XIII, 53: « Innocentem et justum non interficies. » Hinc merito a S. Ambrosio graviter reprehensus, et excommunicatus est Theodosius imperator, quod ob rebellionem civitatis Thessalonice unum cum nocentibus jussit etiam occidere innocentes, can. *Cum apud Thessalonic.* 69, cau. 11, q. 3.

73. *Iniquæ sunt minæ belli ducis militantis, quod nisi fortalitem se tradat, etc., nulli, nec infanti parcere velit.* — Quare stultæ simul et iniquæ semper sunt illæ belli ducum civitates obsidentium minæ, quod nisi certo tempore civitas se tradat, hoc vel illud faciat, etc., omnes sine distinctione trucidare; et nulli, nec infanti in utero materno parcere velint: quia, uti dictum, innocentes etiam in bello justo per se et ex intentione occidere non licet, bene tamen per accidens, vel præter intentionem; ut si bellum geri, aut victoria obtineri nequit, nisi etiam innocentes cum nocentibus, quibus permixti sunt, simul occidantur, prout accidit in arcium eversione, civitatum expugnatione, etc.

74. *Indirecte, ac præter intentionem etiam innocentes in bello justo occidere licet. Et quando? Multitudo peccans non tota est occidenda.* — Imo ipsos etiam nocentes, postquam bello jam devicti et capti existunt, interficere fas non est; nisi atrox crimen morte dignum commiserint, aut trucidatio eorum ad criminis atrocis vindictam, aliorumque terrorem, vel ad acquirendam, firmandamve reipublicæ pacem, quietem, ac securitatem, necessarium, aut valde conducens videatur; eo quod horum trucidatio sit

medium ad finem justum, ac licitum. Molina, *de I. et I. tr. II, disp. 7*, et alii, recte tamen monentes, parcendum nihilominus esse multitudini, adeo, ut licet secundum rigorem justitiæ omnes occidi possent, tamen sublatis auctoribus, et nocentioribus in reliquam multitudinem exardescere non sinat, sed rigori aliquid detrahendum suadeat charitas ac lenitas christiana, arg. c. 1, dist. 44, ibi: « Sic enim agendum cum multitudine peccantium; severitas autem exercenda est in peccata paucorum, » can. *Ut constituerentur*, 25, in fine, dist. 50, et can. *Ordinationes*, 5, in fine, cau. 9, q. 1, ibi: « Ubi multorum strages jacet, ibi subtrahendum est severitati, ut addatur amplius charitati. »

75. *Omnes qui auctoritate publica malefactorem occidunt, vel propinque concurrunt, irregulares sunt ex defectu lenitatis. Recensentur omnes isti in compendio.* — Quæritur III. An, quinam, et quando contrahant irregularitatem, qui auctoritate publica ex justa causa per leges comprobata malefactores licite occidunt, aut mutilant, vel ad id concurrunt? Resp. I. Quamvis juxta dicta malefactores justissime et licite occidantur, vel mutilentur auctoritate publica: certum tamen et indubitatum est, omnes, qui publica auctoritate occidunt, vel mutilant, et qui propinque, aut notabiliter, vel non adeo notabiliter quidem, sed tamen auctoritate publica concurrunt, veluti sunt accusatores, et delatores, item judices, ejusque assessores, et consultores, advocati, testes, notarii, sententiam scribentes, dictantes, subscribentes, legentes; ministri justitiæ sententiam exequentes esse irregulares. Ratio est, quod quamvis hi omnes nullum committant delictum, nihilominus quia sanguinem alienum fundunt, vel ad fundendum concurrunt, carent perfecta mansuetudine, et lenitate christiana, indeque ab Ecclesia merito inhabiles reputantur, ut in altari inveniuntur et immaculatam Deo hostiam offerant, ac representent personam Christi, qui ut agnus mansuetissimus proprium pro nobis fudit sanguinem; præsertim cum etiam in lege veteri Deus ob multam sanguinem humanum, quem David rex fudit, non ab illo, sed a fratre ipsius Saomone templum sibi ædificari voluerit, I Paralip. cap. xxii, v. 8. Verum quantumvis hæc certa sint, quia tamen quoad aliquas ex præfatis personis difficultates controversiæ existant; hinc pro

majori claritate de singulis singulares conclusiones ponemus. Quare:

76. *Quicumque, sive clericus, sive laicus criminaliter aliquem coram iudice laico accusat de crimine pœnam sanguinis promerente est irregularis, etsi contra pœnam sanguinis protestetur.* — Resp. II. Quicumque sive clericus, sive laicus coram iudice laico aliquem criminaliter accusat de delicto sanguinis, mortis nempe, vel mutilationis pœnam secum trahente accusat, vel denuntiat, irregularis est, si præfata pœna reo infligitur. Communis et certa arg. can. *Si quis*, 8, dist. 40, et supponitur c. *Postulasti*, 21, h. t. Nec immunis redditur ab irregularitate, etiamsi contra pœnam mortis, aut mutilationis protestetur, prout cum communi et certa aliorum bene advertit Covarruvias, in Clem. unic. *de Homicidio*, p. 2, § 5, n. 1; Suarez, *de Censur.* p. 2, dist. 5, sect. 2, n. 10; Pirhing, h. t. n. 101. Ratio est, quia talis protestatio videtur facta contraria; hoc ipso enim, quod quis criminaliter seu ad pœnam, et vindictam publicam accusat, præsumitur velle pœnam a jure statutam; cum regulariter loquendo iudex criminaliter accusatum debeat punire juxta præscriptum legis, juxta illud can. *Summopere*, 70, cau. 11, q. 3, ibi: « Secundum quod statutum est, definitiva proferatur sententia, » ut proin talis protestatio vana et inutilis censeatur.

77. *Secus est, si criminaliter accusat coram iudice ecclesiastico.* — Dicitur autem notanter coram iudice laico, et de delicto pœnam sanguinis secum trahente, ob dicenda n. 84 et 85.

78. *Vel coram laico quidem, sed non civiliter ad suum interesse cum apposita protestatione contra pœnam sanguinis: etsi hæc nihilominus sequatur, et prævideatur.* — Aliud foret, et ab irregularitate immunem faceret, si quis sive clericus, sive laicus civiliter duntaxat, id est, non ad vindictam publicam, sed præcise ad proprium suum interesse, petendo restitutionem, aut damni illati compensationem coram quocunque tandem iudice, et de quocunque crimine accusaret; etiamsi postea iudex pœnam mortis, aut mutilationis infligat, idque prævideat civiliter accusans, aut denuntians; dummodo protestatione expressa protestetur, se non ad vindictam, sed præcise ad justum suum interesse accusare; quia in tali casu per accidens tantum mors sequitur ex accusatione

hujusmodi, uti bene docent Covarruvias, loc. cit.; Avila, *de Censur.* p. 2, disp. 5, sect. 2, dub. 9; Barbosa, in c. *Prælati*, 2, h. t. in 6, et ibi doctores communiter, arg. cit. c. *Postulasti*, 21, h. t. et c. *Prælati*, 2, eod. in c. ubi hæc doctrina expresse proponitur illis verbis: « Prælati vel clericis quibuscunque, qui de laicis malefactoribus suis querelam apud iudicem sæcularem deponentes petunt emendam (id est, satisfactionem injuriæ, vel damni illati) sibi fieri, et provideri, ne contra eos talia de cætero præsumant protestando expresse, quod ad vindictam, seu ad pœnam sanguinis agere non intendant, imputari non debet: quamvis alias de jure debeat pœna sanguinis irrogari, si iudex mortem illis infera justitia exigente. » Ratio subjungitur, « nam alioquin, si prælati, aut clerici propter metum hujusmodi, quia iudex ad pœnam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non audent, daretur plebisque materia seu occasio trucidandi eosdem, et illorum bona libere deprædandi. »

79. *Pariter irregularis non est qui pro suo interesserecuperando malefactorem, v. g. furrem capit, et tradit, vel indicat iudici, cum opposita protestatione expressa.* — Imo Barbosa, loc. cit. n. 4, post Bonacinam, Covarr. in Clem. unic. h. t. p. 2, § 5, n. 3, in fine et alios, addit, immunem esse clericum ab irregularitate, etiamsi capiat, aut detinea malefactorem deprehensum, illumque pro impetrando suo interesse iudici tradat, vel si pro interesse indicet, ubi capi possit, dummodo protestationem præfatam vel statim, vel saltem ante prolationem sententiæ faciat expresse; quia tacita, vel interna protestatio non liberat ab irregularitate illum, qui malefactorem de crimine pœnam mortis, aut mutilationis inducente etiam civiliter duntaxat accusat, vel denuntiat. arg. cit. c. 2, h. t. in 6, ibi: « Protestando expresse, » ubi enim expressum requiritur non sufficit. Glossa ibidem. v. *Protestando expresse*, arg. c. *Nullus*, etc. *Indemnitate de ect.* in 6.

80. *Qui vero pro interesse prorsus extraneo id facit, irregularis esset.* — Verum, quæ in præsentia, et præc. num. dicta sunt, intellege, si quis reum civiliter tantum cum apposita protestatione accusat in causa propria, vel suæ Ecclesiæ, et probabilius etiam parentum, fratrum, propinquorum, liberorum, et aliorum ita conjunctorum, ut dam-

num, vel injuriam in ipsum redundare videatur; in causa siquidem personarum extranearum, si quis etiam civiliter tantum reum hujusmodi accusaret, aut caperet, reum sisteret, vel indicaret iudici, irregularitatem non evaderet, ut bene advertunt Navarrus, *Man. cap. xxvii, n. 213*; Covarr. in Clem. unic. h. t. p. 2, § 5, n. 1, v. *Undecimo*; Layman, lib. III, tr. III, c. 7, n. 5, et alii, arg. cit. c. h. t. *Suis malefactoribus*; ergo non extraneis.

81. *Accusans civiliter liber est ab irregularitate, etsi interne intendat pœnam sanguinis.* — Porro accusans civiliter expressa cum protestatione contra pœnam sanguinis liber est ab irregularitate, etsi talis protestatio ficta tantum sit, et protestans interne desideret, vel intendat mortem denuntiati, uti contra Navarrum, cap. xxvii, n. 226, et alios per Barbosam citatos probabilis docet idem Barbosa, in cit. c. 2, h. t. in 6, n. 9; Navarr. loc. cit. § 5, n. 2, not. 2; Pirh. h. t. n. 103; Molina, *de I. et I. disp. 8, n. 4*; Layman, Avila cum communi aliorum. Ratio est, quia cum Ecclesia iudicet tantum secundum externa, indeque apud iudicem ficta protestatio idem valeat, ac vera; irregularitatem non contrahit, qui fecte promittit; præsertim quia non contrahitur in casibus a jure expressis, c. *Is cui, de Sentent. excomm.* in 6.

82. *Protestatio contra pœnam sanguinis quomodo, et quando fieri debeat.* — Protestatio autem sive vere, sive fecte fiat, ad evitandum irregularitatem sufficienter exprimitur, si sequenti, vel simili modo oretenus, vel scriptis, saltem ante prolationem sententiæ proponatur: Domine, etc., etc. Titius furatus et mihi, vel ab ecclesia mea, vel damnum, etc. mihi intulit, vel parentem meum occidit; quare in debita juris forma, insto, ut satisfactionem, vel restitutionem mihi procuret; protestor tamen, me nulla ratione intendere pœnam sanguinis, mutilationem, vel mortem. Barbosa, in cit. c. 2, h. t. in 6, n. 7.

83. *Sufficit, si fiat ante sententiam iudicis condemnatoriam.* — Dixi saltem ante prolationem sententiæ; quia etsi melius, securius, usuque et praxi receptum sit, ut quis statim ac denuntiat, vel accusat malefactorem, præfatam protestationem adjungat; tamen si tunc forsitan illius obliviscitur, vel ex alia causa omittit, ab irregularitate liber erit, si saltem ante prolationem sententiæ

illam faciat. Covarruvias, in Clem. unic. h. t. p. 2, § 5, n. 1 et 2; Pirhing, h. t. n. 104, et alii. Ratio est, quia sufficienter adhuc, et in tempore intimatur intentio accusantis, quod non intendat pœnam sanguinis. Unde sicut, qui ante executionem revocat mandatum homicidii, immunis est ab irregularitate, etsi homicidium nihilominus sequatur; sic etiam immunis erit, qui ante sententiam protestatur; cum sic faciat, quod accusatio ipsius per se non sit, nec esse possit causa mortis, sed per accidens duntaxat. Nec aliud requiritur in c. 2, h. t. in 6.

84. *Qui coram iudice ecclesiastico etiam criminaliter, sine protestatione accusat, non est irregularis.* — Hactenus recensita protestatio necessaria non est, sed absque illa ab irregularitate immunis erit accusans, vel denuntians malefactorem in sequentibus casibus. Primo. Si quis sive civiliter, sive criminaliter accusat etiam de crimine pœnam mortis inducente, coram iudice ecclesiastico. Barbosa, in c. 2, h. t. in 6, n. 10; Pirhing, h. t. n. 110. Ratio est, quia iudex ecclesiasticus non potest procedere ad pœnam sanguinis, per vulgaria; et per accidens est, si reum dein tradat iudici sæculari puniendum.

85. *Nec ille, qui accusat criminaliter de crimine levi, etsi per accidens inde sequatur pœna sanguinis.* — Secundo. Si quis sive criminaliter, sive civiliter accusat, vel denuntiet malefactorem de crimine levi, vel tali, quod pœnam mortis aut mutilationis non mereatur, etsi dein iudex limites iustitiæ excedens, reum occidi, aut mutilari faciat, arg. c. *Postulasti*, 21, h. t.; Covarr. loc. cit. § 5, n. 3, not. 9; Navarrus, *Man.* cap. xxvii, n. 204, et alii. Ratio est, quia malitia, vel inscitia iudicis non debet nocere accusatori. Tertio. Si de levi accusat, et iudex accusatum condemnet ad mortem ob alia delicta. Navarrus, loc. cit.; Pirhing, h. t. n. 110, quia id ratione accusantis per accidens evenit.

86. *Neque qui accusat, vel denuntiat de crimine penaente in futurum.* — Quarto. Ab irregularitate immunis est, qui etiam sine protestatione accusat, vel denuntiat, vel judicialiter manifestat malefactorem non de injuria per crimen jam illata, sed inferenda, et de crimine pendente in futurum, sive in proprium, sive alienorum etiam extraneorum damnum redundaturo, si alia ratione averti non possit, quam per huiusmodi de-

nuntiationem, et manifestationem. Covarruvias, loc. cit. n. 4, not. 11; Pirhing, h. t. n. 109; Molina, *de I. et I.* disp. 8, n. 9, et alii, arg. c. *Accusati*, 8, *de Accusat.* ibi: «Nisi pro pace feceris.» Ratio est, quia sacri canones non imponunt irregularitatis notam propter opus, ad quod quis lege naturali, et divina charitatis tenetur, cujusmodi opus est avertere grave malum a proximo.

87. *Doctrina practica.* — Inferitur: qui scit aliquem, vel aliquos sibi, vel alteri, cui-cunque tandem insidiari, velleque vel occidere, vel aliud grave damnum in corpore, aut bonis fortunæ, etc., inferre, absque omni periculo irregularitatis eum apud iudicem denuntiare, aut manifestare, vel accusare potest, ut vel vigilet, vel capiat eundem, vel alias malum avertat; si alia via, quam ista malum a se, vel ab alio avertere secure non valeat.

88. *Laicus criminaliter accusans ad pœnam sanguinis est irregularis ex defectu lenitatis: clericus vero ex delicto. Clericus licite neminem potest accusare criminaliter coram laico, bene tamen coram ecclesiastico iudice.* — Ceterum quæ a nu. 76, huc usque de criminaliter, vel civiliter accusantibus, denuntiantibus, detinentibus, etc., dicta sunt, procedunt, sive clericus, sive laicus accuset, vel denuntiet, hoc solo cum discrimine, hoc si laicus criminaliter, vel civiliter, sine protestatione accuset reum de crimine pœnam mortis, vel mutilationis secum contrahente, irregularis fiat quidem ex defectu lenitatis, per dicta supra, illicite tamen agat; quia nullibi prohibitum est laico, accusare criminaliter, si vero clericus præfato modo accusat, illicite agat, peccet, et fiat irregularis ex homicidio illicito. Navarrus, cit. cap. xxvii, num. 213 in fine. Avila, *de Cens.*, disp. 5, sect. 2, dub. 9. Ratio est, quia clericis prohibitum est coram iudice laico (non vero coram ecclesiastico) criminaliter ad pœnam sanguinis accusare, arg. c. *Postulasti*, 21, h. t. et c. II, eod. in 6.

89. *Iudex condemnans ad pœnam sanguinis est irregularis.* — Resp. III. Omnis iudex sive clericus, sive laicus, si fert, vel dictat sententiam mortis, aut mutilationis in malefactorem, effectu secuto, est irregularis. Unanimis et certa, arg. can. 1, dist. 81, can. *Sæpe*, 29, et seqq., cau. 23, q. 8, c. *Ex litteris*, 10, *de Excess. Prælat.*, c. *Clericis*, c. *Sententia*, 9, ibi: Ne Clericis vel Monach. Ratio est, quæ supra n. 173.

90. *Si effectus sequatur; secus est, si pœna sanguinis in effectu non infligitur.* — Dicitur autem notanter effectu secuto; quia si effectus non sequitur, ut si reo pœna mortis, aut mutilationis condonetur, aut in aliam commutetur, v. g. in fustigationem, flagellationem, detrusionem ad carceres, triremes, etc., multo magis, si ad huiusmodi pœnam duntaxat, citra mortem, aut mutilationem reum condemnet iudex, irregularis non fit. Navarrus, cit. cap. xxvii, num. 211. Suarez, *de Censuris*, disp. 47, sect. 1, num. 3. Ratio est, quia universaliter nulla irregularitas in occidentes, et mutilantes, aut concurrentes, jure statuta incurritur, si effectus non sequatur, ut bene advertunt Barbosa in c. fin. h. t. Covarruvias in Clem. *Si furiosus*, h. t. p. 2, § 2, n. 2 et alii.

91. *Papa tamen ad pœnam sanguinis aam-nans non est irregularis.* — Limitatur insuper conclusio num. 89, posita. I. Quoad summum Pontificem, utpote qui est in *capax* irregularitatis adeo, ut ab illa prius contracta fiat liber per evectioem ad Papatum, uti c. *Licet vitanda*, *de Elect.* c. *Ubi periculum*, 3, eod. in 9. Bene desumit Majouus, *de Irregularitat.*, lib. II, cap. IV, pr. et observat Pirhing, h. t. n. 69.

92. *Nec inquisitores contra hæreticam pravitatem.* — Limitatur II. Quoad inquisitores hæreticæ pravitatis, eorumque commissarios, consultores, assessores, etc., utpote qui favore fidei ex privilegio per Paulum IV, et Pium V, immunes sunt ab irregularitate, etsi hæresis reos ad pœnas jure statutas, etiam mortis condemnent, Palao, tr. XXIX, disp. 6, pun. 14, § 1, citans Pegna, *Direct. inquisit.*, p. 2, Comment. 20, et alii.

93. *Neque Judæi iudices, aut Saraceni.* — Limitatur III. Quoad Judæos, Saracenos, aut alios infideles; quia hi legibus Ecclesiæ et pœnis non subsunt, c. *Gaudemus*, *de Divort.*, cum concordantiis; ut proin talis ad finem conversus nulli effectui irregularitatis subesset, etsi prius ut iudex tulisset sententiam mortis, vel ipsemet etiam juste vel injuste occidisset. Suarez *de Cens.* disp. 40, sect. 7, n. 3. Pirhing h. t. n. 99, et alii.

94. *Nec iudices ecclesiastici malefactorem tradentes curiæ sæculari.* — Limitatur IV. Quoad alios iudices ecclesiasticos, casu quo aliquem malefactorem confessum, aut convictum iudici sæculari tradunt, etsi sciant, et prævideant, eum pœna mortis, aut muti-

lacionis plectendum fore. Pirhing, h. t. n. 99. Suarez *de Censur.* disp. 47, sect. 1, n. 11. Covarr. loc. cit. num. 6. Ratio est, quia, quod malefactores etiam clericos, prius degradatos Curie sæculari tradere possint, et nonnunquam debeant; disponitur a jure c. *Ad abolendam*, 9, § *Præsenti de hæretic. c. Novimus*, 27, *de Verb. Signif.* Suadet tamen merito Pirhing h. t. num. 100, ut iudices ecclesiastici, si malefactorem Curie sæculari puniendum tradunt, protestentur, et efficaciter intercedant, ne reo pœna mortis, aut mutilationis inferatur; quamvis enim talis protestatio forte necessaria non sit, cum jura in tali casu eam non præscribant, et eam necessariam non esse per plures rationes ostendat Suarez loc. cit. nu. 12, tamen facile omittenda non est; tum propter majorem securitatem, ne irregularitas incuratur; tum ad ostendendam mansuetudinem Christi; tum quia communis et laudabilis probat, et habet consuetudo et praxis.

95. *Principes Romani Imperii an et quomodo possint esse iudices in causa criminali, vel eam aliis committere?* — Limitatur V. Quoad episcopos S. R. I. principes, et alios prælatos jurisdictionem temporalem habentes, et ad causam sanguinis iudicem constituentes; limitatur inquam quoad hos in tantum, ut licet ipsimet sententiam mortis, aut mutilationis ferre, ac in particulari consulere non possint, neque mandare, ut hic vel ille in specie occidatur, per ea, quæ diximus lib. III, tit. fin. a nu. 12, possunt tamen aliis committere, jurisdictionem criminalem, et causam sanguinis; idque non solum in genere, constituendo unum, vel plures iudices sanguinis, et mandando eis, ut casu emergente malefactores pœnis a jure statutis afficiant (uti solum fieri posse vult Glossa in c. c. *Ne clerici, vel monach.* § *Episcopus*, quam etiam nos citavimus supra loc. cit. nu. 14.); sed etiam probabiliter in specie, committendo iudici cuidam inferiori, ut crimen alicujus in specie examinet, cum juxta præscriptum juris iudicet, ac puniat. Avila *de Censur.* disp. 5, sect. 2, dub. 4. Covarr. in Clem. unic. h. t. p. 2. Molina *de I. et I.* Disp. 74, nu. 9. Layman lib. III, tr. 3, p. 3, cap. vi, nu. 4. Palao loc. cit. n. 3, arg. c. fin. *Ne clerici, vel monach.*, ubi id expresse concessum cernitur. Nec obstat regula juris, quod quis facit per alium, perinde est, ac si faciat per se ipsum, c. 72,